in capellam, que intra pala-
cium regale posita erat. Cum
enim ab ancillis obseruaretur,
sub specie ludi quasi aliquam
puellam rapere vellet, versus eccle-
siam currebat et limen illius
transiliens flexis genibus et
expansis manibus coram alta-
ri orationi instabat, ore
pauimento adherens. Que ali-
am excogitans viam adeundi
capellam, more cujusdam ludi
in vno pede saltans puellu-
las versus capellam fugabat
et quando sub hac ymagine
ludi intrare non poterat,
saltem limina et parietes
ecclesie deosculabatur. Qui
Johannem baptistam in ute-
ro sanctificauit, tribuens
nondum nato, vt Christum
dei sapientiam adesse senti-
ret, et intellectum dat paruu-
lis, sicut exemplum habemus
de cyrico puerulo, huic par-
uule Elyzabeth in etate quin-
quenni celestia sapere et in-
telligere concessit. Cum enim
septem sint dona spiritus
sancti, duo superiora ex il-
lis idest spiritus sapiencie
et intellectus, pertinent ad
contemplatiuam vitam, reli-
qua vero quinque idest spiri-
tus consilii et fortitudinis,
spiritus sciencie et pietatis
et spiritus timoris domini ~~per-~~
ad vitam pertinent actiuam.